

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6403

Auteur(s) : Guillaume Lenfant [particulier]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Lô (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1285, février

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

« Cessio sive donum per eundem Lenfant factum de omnibus suis terris apud cressiacum situatis. » Cession ou Donation par Guillaume dit Lenfant de toutes ses terres sises à Cressy.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° LVIII f, 383-385.

Texte établi d'après a

Noverint universi presentes et futuri quod ego Guillelmus dictus Lenfant per Dei gratiam in bona prosperitate consistens spontanea voluntate mea non coactus pro salute anime mee parentum et antecesserum meorum caritatis et pietatis intuitu ob causam inferius annotatam dedi contuli et omnino in perpetuum concessi viris religiosis priori et conventui sancti Laudi rothomag. et prioratui et monasterio eorumdem videlicet pro participatione habenda in omnibus benefactis que fiunt et de cetero fient in spiritualibus in prioratu et monasterio supradictis et pro inveniendis et administrando michi quamdiu vixero victui meo necessaria cibo potu vestimentis et aliis prout michi antea facere consueverunt et fecerunt usque nunc a temporibus retroactis omnes terras quas habebam in parrochia beate Marie de Cressiaco in feodo et dominio nobilis viri domini Iohannis de Moy militis existentes et sitas iuxta viam regiam que ducit de Cresseio apud sanctum Helerium ex una parte et hayam que fuit domini de Cresseyo de Valle Roussel quam hayam prior et canonici manentes in prioratu de Cresseyo tenent et possident ex parte altera prout se proportant a bosco dictorum religiosorum usque ad hayam Mathei dicti Heredis tenendas habendas in perpetuum hereditagium possidendas predictis priori et conventui et eorum futuris successoribus ob causam predictam bene pacifice et quiete et ad faciendum ex inde salvo iure dominico tanquam de sua hereditate propria omnem suam penitus voluntatem absque contradictione oppositione vel impedimento aliquo mei vel heredum meorum de cetero faciendis. Remitto etiam et omnino penitus expresse et integre quieto spontanee non coactus predictis priori et conventui omne illud in quo michi a tempore retroacto usque nunc tenebantur et erant obligati ex contractu quocumque quocumque titulo quocumque modo et ex causa et racione quibuscumque. Et ut premissa omnia rata valida firma et stabilia permaneant in perpetuum predictis priori et conventui deliberatione prehabita diligenti hanc presentem cartam dedi et concessi et ea omnia contenta in eadem sigilli mei munimine roboravi. Ego autem predictus Iohannes de Moy miles dominus capitalis dictarum terrarum pro salute anime mee et pro sexaginta solidis turon. quos ipsi religiosi michi ob hoc dederunt et solverunt ad plenum pro me et meis heredibus predictis priori et conventui et eorum successoribus et monasterio eorumdem donacionem et concessionem predictas et omnia supradicta ratifico concedo et specialiter in perpetuum confirmo. Volens consenciens confirmans et concedens quod premissa omnia

in perpetuam plenam et integram obtineant firmitatem et quod predicti prior et conventus et eorum successores omnes terras predictas salvo iure dominico tanquam suam propriam hereditatem teneant et possideant et habeant pacifice et quiete et de eis tanquam de suo proprio hereditate gaudeant utantur et omnem suam faciant plenam voluntatem contradictione mei vel meorum heredum aut a me vel meis heredibus causam habentem non obstante. In cujus confirmacionis et concessionis testimonium ego predictus Johannes hanc presentem cartam et omnia contenta in eadem sigilli mei munimine roboravi. Actum mense februario anno Domini millesimo cc° octogesimo quarto.